

Physiol. T. 21.

DEO DUCE.
DISPLITATIONEM PHYSICAM.

De
HOMINE,

PRÆSIDE.

VIRO

Amplissimo atq; Excellentissimo

Dn. JOHANNNE SPERLINGIO,

*Phys. in almâ ad albim leucorea PP. longe fami-
geratissimo, meritisimo, &c.*

Dn. PRÆCEPTORE, PROMOTORE, ac Hospite suo
omni honoris & observantiæ cultu æternum
prosequendo

In Auditorio Majori.

*Publicæ Placitæq; Eruditorum συζήτησι
exhibet.*

CHRISTOPHORUS IDELER.

Leontino - Marchicus

Ad diem 27. Martij Anno 1658.

WITTEBERGÆ

LITERIS JOHANNIS HAKEN.

93.

Physiol.

00,64.

~~2098~~

110

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



DE HOMINE

Περὶ ἀνθρώπου.



Ino vendibili (quod dicitur) lu-
 spensâ hederâ non opus est;
 idem de præfenti haud dubiè
 alligari posse videtur. (quid e-
 nim in nobilissimo hoc anima-
 li, quod non ostentatione,
 quod non admiratione dignum? ut vere So-
 phocles: *nihil æque stupendum ac Hominem, natu-
 ra Parens produxit unquam.* Hic Regula & mensu-
 ra omnium animantium, in quo sapiens natura,
 dotes, quibus cunctas animantium species do-
 navit atque dotavit, summam quasi copula-
 vit, adeo ut Magnū naturæ miraculum in quo
 continetur, quicquid omnibus in rebus, reperi-
 tur dici mereatur. Tanta Sapientissimi Creato-
 ris, in efformatione Hominis fuit Providentia,
 ut quod membra tot miracula in absoluto &
 concinnato egregiè, organisque distincto cor-
 pore deprehendantur. Nihil dicam de anima
 quæ pulchra adeo & Augusta; ut qui prolixè, in
 recensendis ejus laudibus desudaret, soli lumen
 mutare videatur. Sed ne sub Pomposâ hedera,

A 2

turbidum

2100
172.

turbidum vinum, aut quod non raro contingit, ipsum acetum proclamare videamur; Sequuti informationem CL. minucij felicis, qui, non recusato, inquit, quod Cœlius asserere inter præcipua connixus est. *Homines nosse sese & circumspicere debere? Quid sint: Unde sint, an concinnati atomis, an potius à Deo facti, formati, animati, Ad Theses nostras, quas in hanc rem conscribere volumus nos accingimus.*

FAVEAT DEUS INSTITUTO.

Θέσις I.

L. 1. Offic.

Sententia fuit Platonis in Phœdro, approbata in Cicerone. Omnem, quæ à ratione suscipitur de aliqua re, institutionem, debere à definitione poscisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Huic & nostrum adijcentes calculum, sequenti modo HOMINEM cum. Exc. Dn. Præside definimus.

Homo est animal rationale.

Cujus brevissimæ quidem sed accuratissimæ Definitionis, subjecti *Ἑτυμολογίαν* si spectes, derivatur juxta Varronem Homo ab Humo, ad significandam primam ejus originem, de qua Moses; Formavit Deus Hominem de limo terræ; Unde & tot vilissima ipsi indita cognomina, cum dicitur vitrum pulchrum sed fragile, Flos agri, mane surgens, vesperi decidens: Bulla quæ dum nascitur evanescit. Græcis dicitur *Ἀνδρωπῶς* vel quasi *ἀνω θεωρῶν* sursum spectans, quod Ovidius expresit.

Gen. 2. v. 7

Os homini sublime dedit cælumq; videre &c.

Vel quasi *ἀνω θεῶν* Contemplans, quæ *ὀρωπε* videt sicut annotavit Exc. Dn. Præsides, ut indigetetur prærogativa ejus, qua cæteris animalibus ante cellit, quæ quidem vident, sed non considerant, neque animadvertunt, neque contemplantur. Homo autem & videt & considerat & contempletur animadvertitq; quod videt: Unde & Cicero: *Animal Homo providum, sagax, multiplex, acutum, memor,*

1. Metam.
Instit. An-
thir. p. m.
25.

Cic.
de Lege

mor,

mor, plenum rationis & Consilij, Per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt. Hinc & tot splendida ipsi indita cognomina; quod vocatur: Omnium animalium mensura, Divinumque inter ea miraculum: Naturæ Dominus, mundi Hæros, sicut ea prolixius per sequitur Exc. Dn. Præses: Consideranda porro nunc esset subjecti Homonymia ut & Synonymia, quia autem fufius ex Lexicographis repeti possunt, iis hoc loco super se debimus: Et paucis ad ipsam definitionem nos conferimus.

Id enim & de natura Deorum.

Instit. A. p. 16. 17.

II, Hæc sicut omnis perfecta definitio absolvitur conceptu contrahibili & contrahente; Ille Generis, hic differentia vices explet. Quod ad primum: Logici qui alias multum in formandis accuratis Definitionibus desudant; hoc præprimis monent. Ne Remotum & Illegitimum Genus in Definitione ponatur, sed semper proximum si fieri potest adhibeatur. Tale autem nostrum esse probamus ex natura legitimi Generis, quæ est: ut & Synonymice & proximè de Speciebus suis prædicetur, & pluribus diversis conveniat. Idem de animali in ordine ad Hominem & bruta affirmandum ducimus, prædicatur enim de iis Synonymice, nam & nomen & definitionem ipsis communicat V. G. Animal est corpus animatum sentiens, Fiat nunc applicatio ad Hominem, Corpus est, animatum est, Sentiens est. Et de diversis etiam prædicatur Speciebus, De Cane, Leone, & de brutis cunctis, volatilibus, natatilibus, gressilibus, reptilibus.

III. Nec quicquam contra nos, hac in re obtinet Cardanus, Qui non plus inquit, Homo est animal, quam animal planta est. Si enim animal, quamvis nutriatur & sentiat plantæ nomen non meretur, nec omnino planta est, quia, animam quæ sentit habet præter plantam homo cum præter animam habeat mentem, desinit esse animal. Jamdudum enim ab Exc. Dn. Præses Responsum ad illa. Confundi sc. distinctissima qualia: Homo & brutum, nec non brutum & planta. Aliud quippe brutum, aliud animal est.

L. II. subtr.

IV. Alterum quod in hac Definitione probe pensitandum Differentia nomen obtinet, quam absolvit ratio Rationale. Hoc enim Hominem constituit, & ab omnium animalium speciebus segregat. Vera autem & legitima hæc est, quia, quod rarum alias à specifica formâ fluit, à quo homo esse habet, distingui ac operari

Inst. p. 1295

L. 8. Ep.

188.

Per hanc intelligimus, per hanc volumus, per hanc disjungimur à brutis, & associamur Angelis imò ipsimet Jehovah ut habet Exc. Dn. Præf. Sponte sese hinc insinuat nostræ definitionis perfectio, quippe quæ non accidentia communia, nec propria, sed ipsam formam exhibet: Aperta etiam Platonica definitionis falsitas, quæ non tantum insigniter Logicorum Regulis, quibus cavetur, ne superflua & accidentalia in Definitione ponantur contradicit, sed & Præterea naturam veræ Definitionis evertit, Definitio enim quid aliud quam Essentiæ Explicatio, Pedes verò si ad Essentiam, facerent, homo carens pedibus essentialiter perfectus dici non posset, quod absurdum. Rectè celeberrimus Dannhauerus: *Semen, inquit, in utero conceptum est totum essentiale, i. e. Homo constans ex Corpore & anima: Verum non integrale, quia desideratur adhuc partium organizatio: Implume verò, tanquam superfluum, quod neque ad Essentiale, neque ad integrale spectat, planè abolendum. Et hæc de definitione dicta sufficient.*

V. Sequitur nunc divisio, quæ duas Hominis partes, Animam scilicet Rationalem, & corpus humanum exhibet. Hæ illæ duæ partes ex quibus homo componitur: Positis iis ponitur & sublatis iterum destruitur. Peccant tamen contra hanc divisionem alii in Excessu, alii in Defectu.

VI. In Excessu peccant, qui præter illas duas, quarum antea fecimus mentionem, tertiam, Spiritum nempe addunt. Hunc è Spiritu mundi, æque ac cætera animantia, Hominem habere asserunt. Animam verò, seu mentem ex Deo esse, mortalem illam hanc vero immortalem faciunt. Verum cum tertiam hanc partem Ignoret scriptura: ignoret natura, nostrum quoque erit ignorare illam. Ex illis enim omnis nostra sapientia. Illam omni exceptione majorè agnoscimus, hanc pro norma habemus & sequimur: tacentibus ergo illis, & nobis tacendum. Contrarium potius ex illis clarum: *Formavit, inquit Moses, Dominus Hominem de limo terre* (hæc erat una pars) *& inspiravit in faciem ejus Spiraculum vitæ* (hæc altera) ubi non duo Sed unum Spiraculum vitæ homini inspiravit Deus, quo omnia sensuum & intellectus munia obiret, & factus est homo vivus; hæc nostra origo, hæ illæ duæ partes è terra una,

Gen. 2: v. 7.

ra una, altera ex inspiratione data, ex his tandem *Homo* vivus, constans corpore & anima prodiit.

VII. In Defectu peccat Plato, qui ab Hominis natura corpus excludit, & solam animam pro Homine habet: Illud vero pro nudo aliquo instrumento, quo anima ad edendas operationes utatur, venditat; nec aliam illius ad hoc respectum quam qui inter Cytharædum & Cytharam, equum aut militem, Fabrum aut malleū, intercedit, constituit. Eadem & olim Pythagoræ fuit, opinio, non informari corpus ab anima, sed corpore animam uti, tanquam instrumento. Hæc si illorum sententia fuit, falsò creditur heroes antiquos nunquam errasse, quin vel in minimis potius pessime eos aberrasse fatendum. Dantur quidem in corpore organa, quorum ministerio anima ad edendas operationes carere nequit: Sic per oculus videt, auribus ad audiendum, naribus ad olfaciendum utitur; lingua gustat: manibus apprehendit Pedibus ambulat, & sic consequenter. Sed abuti vocabulo instrumenti, quotquot corpus pro instrumento venditant, cum Exc. Dn. Præf. dicimus non enim nisi improprie ob similitudinem hoc de illo dicitur: Datum enim corpus primariò ob constitutionem totius, non ut nudum animæ instrumentum sit. Unde scite ad hæc Scaliger; *Sane hunc ad modum corpus ipsum nihil hominis esset, nisi tanquam possessoris: Ut Equus aut malleus, militis aut Fabri*: Unio præterea illarum intrinseca, per quam compositum fit, per quam Ens per se fit, per quam una Essentia fit: Pars ergo est non instrumentum, absque qua totum esse nequit. Hinc primarium animæ munus est informare corpus non vero eo tanquam instrumento uti: Agens enim causæ proprii instrumenti forma esse nequit.

VIII. Nunc seorsim de utraque Hominis parte; Et primo quidem de anima tanquam nobiliori, nonnulla dicenda sunt. Non autem Pnevmatici quod est nostrum hac vice facimus, nec enim absolute & ratione Identitatis, sed respectivè, in relatione ad corpus illam hîc attendimus; hoc est, non ut Spiritus I. Ens est: Sed ut forma Hominis à qua habet esse distingui ac operari.

IX. Antequam autem ad Descriptionem ejus descendamus

Ren. des
Cartes: de
1. Phil.

Med. 1. & 2
Macrob. l.
in. somn.

scip. c. 24.
Plin. l. 2.

cap. 16.

Cic. in
somm. scip.

Sen. Conf.
ad Hebr.
cap. 6.

Scal. Ex.
307. f. 20.

Epiet. l. 3.

Diss. c. 13.

Macrot. l.
1. in somn.
sup. c. 14.

Cic. l. 1.

Tusc. Qua.
v. 119.

Galenus
comment.
5. partis.
l. 6.

mus prius κατ' ἀρχήν Falsas nonnullorum, de illa sententias bre-
viter adducemus: Nihil verò nobis jam negotij cum scepticis,
qui, *quia de omnibus Dubitandum didicerunt* Essentiam animæ du-
biam faciunt. Tam Crassus enim eorū, error ut vix humanā admit-
tat censuram Inter dissentientes autem aliorum de anima opinio-
nes, primo loco ponimus illam: Qua in corporum cœlestium
censum redigitur. Quam sententiam Heraclyto Phys. Macro-
bius adscribit, quasi essentiæ stellaris scintillam animam dixerit:
Quod & Hipparchus apud Plinium & Africanus apud Ciceronem
asserere non dubitavit.

X. Et hæc sententia non obscuros quondam invenit Patro-
nos, inter quos & Seneca refertur, qui descendisse illā ex cœlesti illo
Spiritu ait. Et ipse Plato, qui alicubi animam vocat ἄττοειδές
ὄχημα Radians & splendidum vehiculum cum quo facere dici-
tur Scaliger, qui eam naturam cœlestem & quintam essentiam
nuncupat. Et Epictetus qui astra vocat nobis φίλα καὶ συγγενῆ σοι-
χέια. Et hanc sententiam ipse quoque Princeps Philosophorum
Aristoteles suam fecisse putatur, dū quinta essentia animam con-
stare, & ἀνάλογον τῷ πέμπτῳ σώματι in animabus inesse dicit. Alij
cum Hippocrate. Zenone & Hipparcho animam ignem, sive Spiri-
tum calidum tenuem per corpus omne dispersum & corpori con-
cretū faciunt. Et quæ ejusmodi aliorum falsæ sententiæ innume-
ræ quarum quia quædam falsa nituntur Hypothesi: aliæ nulla a-
licujus momenti ratione stabiliri possunt: multæ etiam ab aliis
jamdudum explosæ atque rejectæ sunt, enumerationem nostram
h. l. non facimus, imò nec de necessitate illam arbitramur cum ne-
minem nostro seculo eò dementiæ pervenire persuasum nobis ha-
beamus, qui l. cum Crytia apud Aristotelem, & Empedocle
apud Ciceronem, Animam censeat esse cordi suffusum sangui-
nem. Aut cum Galeno & dicæarcho, animam Crasin & tempe-
ramentum ex legitima quatuor Elementorum contemperatione
exortam somniat De quibus scite Scaliger. *In venustis simi, in scitis si-
mi, infelicis simi, omnium studiosorū sunt, qui putant ex multiplici ma-
teria atq; ejus formis contaminatis, posse per se fieri formam unam, quæ
totius molis autor sit existendi.* Nos qui diversum longe sentimus,
apprehendentes sententiam Exc. Dn. Præsidis Scripturæ & Naturæ
con.

con.

conformiorem, sequentem Animæ cum eo damus descri-
ptionem.

XI. *Anima rationalis est Forma hominis qua est, intelligit & vult.* Quemadmodum enim Anima canina, Canis forma, equina equi Leonina Leonis est. E. Per quam sunt quod sunt & distinctas edunt operationes. Sic & rationalis anima Hominis forma est. Qua est, intelligit & vult. Quæ verba descriptioni addita, non nudam formam assistentem, quæ non dat rei τὸ εἶδος τοῦ ἔιναι, i. e. esse specificum; Sed rei constitutæ, & specificum esse habenti supervenit & adjungitur, ad nobiliores aliquas quas propria vi exsequi non potest operationes edendas, hanc esse. Sed aliam & quidem nobiliorem longe habere essentiam quam informantem appellant, quæ est principium & altera pars compositi, & rei dat esse specificum, eamq; tanquam differentia ab omnibus aliis separat. innuit. Per animam enim Rationalem Homines sumus, sicut per irrationalem sunt bruta, Per eandem intelligimus, sicut canis per caninam latrat æquus per æquinam hinnit. Ad quæ rectè Exc. Dn. Præses *Tum nostrum quod est agimus, cum intelligimus ac volumus, non cum Aramus, cum aureo poculo bibimus.*

B. Senner-
tus c 8. In-
stit. c. 1. p.
m6. 48.

XII. Quod ad errorem Avenrois, qui formam hominis cogitativam (quam ita appellat) & à Phantasia diversam facit, & per hanc hominem certam animalis speciem constituere asserit. Animam verò rationalem, nudam assistentem formam somniat, non tantus ille qui prolixius refutetur, sed vel duobus saltem ratiociniis illum diluimus, quorum primum in forma tale.

Illud per quod una res specie differt ab alia, est forma ejus non assistens sed informans (Sola enim forma dat distinguere) Sed per animam rationalem Homo differt ab omnibus animalibus cæteris. E.

Anima Rationalis est forma Hominis non assistens sed informans.

Vtræq; præmissarum sua radiat luce.

II.

Quodcunq; cum corpore humano in unum ὑπὲρ ἀμεινον copulatur, & cum illo humana naturæ essentiam constituit.

B

Illud

Illud non est forma assistens Sed informans

Atq; anima Rationalis est talis Ergo.

Major sua radiat luce Nec de minore lis esse potest:

*Sic non anima sola, sed totus homo intelligere dicitur. Actio-
nes enim & passiones suppositorum sunt,*

XIII. Inò ulterius dico. Quærimus ex Avenroë ejusque
affectis? Utrum illa mens assistens sit in omnibus eadem. An verò
unicuique sua. Quicquid retulerint variis undiquaque se absurdi-
tibus implicabunt. Quod si prius; Negare vix poterunt, eandem a-
nimam contrariarum simul operationum causam esse, & in hoc scire
quod in alio ignorat, in illo bona, in alio mala erit, quod absurdum.
Sin verò unicuique suam dixerint, quæ tamen non aliter Homi-
ni, ac nauta navi assistat, Homo non erit amplius per se sed per
accidens unum, inò nec suppositum unum, sed diversa duo: Ani-
mal scilicet alogum ex corpore & anima sensitiva conflatum: sen-
tiat ergo illud animal, intelligat illa mens; Homo tamen non in-
telliget magis quam fues, in quas sunt immissi Dæmones. Hæ illæ
absurditates, quibus nunciū remittentes, tutius approbari illa duci-
mus quæ Augustinus hac de remonet: Non, inquit, duas in Homine
uno dicimus animas sicut Jacobus & Alij stirorum scribunt, unam ani-
malē quæ animetur corpus, & immixta sit sanguini: Spiritualem alte-
ram, quæ rationem ministret, sed dicimus unam esse eandemq; animam
in Homine, quæ & corpus sua societate vivificet, & semel ipsam sua ra-
tione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in sua substantia eli-
gat cogitatione quod vult, Hæc Aug. à quo nec dissentit Isidorus
cum inquit. Anima, dum vivificat Corpus, anima est, dum scit Mens
est, dum recollit memoria est, dum Spirat Spiritus est: dum aliquid sen-
tit, sensus est. Et sane optime hoc fieri posse dicimus eà ratione
qua singulæ subjecti sui partes inter se consentiunt, totiusque con-
servationem amant propter bonum suum, suumque bonum
propter totius bonum est immunis enim ab ejus materia. Quod illu-
strari posset exemplo lucis quæ eodem in tempore aquam quæ
movetur & quæ quiescit, & aerem & alia illuminat quia non ab e-
orum dependet materia sed à sole. Sed ad alia properandum.

XIV, Descriptionem autem non Definitionem animæ Ra-
tionæ

tionalis dedimus. Definiri enim illam perfecte posse negamus: primum enim hoc esset contra naturam partium, quæ non accurate Definiuntur, sed tantum aliquo modo describuntur. Deinde nec perfecte Spiritum qualis est cognosci posse dicimus, ut scite Peripatetici ament subsistere in desperata illa responsione, *NESCIO*, quam laboriosius in hujus naturam inquirere insistentes admonitioni Scaligeri, dicentis: *Nego tibi ullam nobis notam formam plenè & plenè, nostramq; scientiam esse umbram in Sole. Formarum enim cognitio & rudis & confusa est nec nisi per magis doctos Alij tamen* (contrarium sentientes) animam hunc in modum Definiunt *Anima rationalis est actus substantialis corporis organici, Spiritualis, immortalis, quo intelligimus ac volumus*. Egregie verò perfecta & accurata hæc Definitio, in qua ferme quod verba tot vitia. Siquidem ut nihil dicam de genere, quod in Definitione debet poni proximum (ut logici docent) tale autem hoc non esse, ipsimet probant cum formam per Actum substantialem definiunt: propior ergò forma erit, remotior actus. Pessimè integrale corpus pro essentiali parte substituunt. Partes enim integrantes salva manente essentia non modo augeri minui, sed & plenè tolli posse in confesso est: Non ergo absolute organicum, sed Humanum corpus animæ subjectum est. Sequeretur enim alias quod anima in corpore tanquam in organo esset: quod absurdum superius diluimus.

Exc. 307.
p. 21.

Jacob. 13
p. 6. 2.

XV. Deveniendum nunc ad Quæstiones, quarum innumerum sapiens Seneca facit numerum: Unde nimirum sit? Qualis sit, quando esse incipiat? Quamdiu sit? An aliunde alio transeat, & domicilium mutet, ad alias animantium formas aliasque conjecta? An non amplius quam semel seruiat, & emissa evagetur in toto. Et quæ ejusmodi alia, quæ prolixius citato loco recitantur. Nos ut brevitati studeamus, ex innumeris paucas è multis tantum duas hac vice ventilandas suscipiemus: Quarum altera originem Animæ; immortalitatem altera docebit.

Seneca
l. 8, Ep. 88.

XVI. Quantum ad priorem, intricatam atque difficillimam illam esse, variisque variorum, & quidem discrepantium autorum opinionibus fluctuare, non modo cum modernis sed & antiquioribus clarissimis Philosophis & Theologis ut & Patribus B. M. non immerito dicimus quorum testimonia prolixè huc ad-

scribere nec temporis nec instituti patitur ratio. Sit instar omnium S. Augustinus. Hic cum quatuor de animæ Humanæ sic loquitur incarnatione opiniones jactarentur, Cum Hieronymo ἐπεχειρᾶται maluit quam temere aliquid pronunciare. Harum priores erant? 1. utrum ex illa una quæ primo Homini data est anima cætera propagentur quæ Gregorij Nysseni sententia erat, 2. utrum singulis quibusque novæ fiant, & alicubi jam existentes mittentur & influentur Divinitus, & θύραθεν seu extrinsecus accedant, quam Aristoteles cum stoicis defendere ausus? utraque suos adhuc hodie invenit ad stipulatores & Defensores, non parvi momenti viros. Augustinus tanta eas tractavit modestia ut utram amplecteretur facile intelligi non posset neutram enim defendendam aperte suscipere voluit. Verum cum una sit veritas, & simplex sine diviticulis incessus, cui non ex pravis hominum opinionibus emendicari fulcra debent, sed ipsa suo nitore splendeat, seque illis non una ratione ostentat; Modestiam Augustinianam limites transilire ἀνομιαν haud arbitramur, cum nec tuta semper quævis moderatio, nec noxius omnis in genuitatis ardor: Siquidem admissio uno Absurdorum sequuntur innumera alia,

XVII. Ad originem igitur Animæ Rationalis determinandam, nostramque veram de traduce sententiam propugnandam, aperto Marte eò latius accedimus, quo magis plausibilibus rationibus, contra Adversarios nos instructos sentimus. Sententia illorum hæc est. Animam Rationalem à Deo singulis diebus noviter creari, & corpori Humano, jam in Embryone formato cœlitus infundi; à Parentibus verò post 40-60-aut centesimum conceptionis diem cum corpore conjungi. Hanc suam assertionem tum ex scriptura tum ex natura probari dicunt. Verum dicunt sed non faciunt, nullam enim alicujus momenti rationem neque ex scriptura neque natura unquam protulerunt, ad quam non abunde ab Exc. Dn. Præside responsum sit. Adami exemplo illud probari dicunt, de quo Moses sequentia: Gen. 2. v. 7. Et inspiravit Deus in faciem Adami Spiraculum vitarum hinc ita colligunt.

Quæcumq; Adami anima origo fuit eadem omnium Humanum est

Sed Adami anima à Deo creata & inspirata est, E.

Adhuc

Adhuc hodie singulorum anima à Deo creantur, & corpori infunduntur.

Responsum ad hac per instantiam de corpore Adami.

Quacunq; origo corporis Adami fuit, eadem adhuc omnium hominum est.

Atq; Adami corpus ex pulvere terræ productum E.

Cui ergo non obvia majoris falsitas. Alia quippe tunc constituenta nunc vero constitutæ naturæ ratio erat de illa non de hac interpretanda quæ Moses habet quod ex Evæ productione, diversa, longe ab hac clarû ut ex citato loco patet. Rectè ad hæc Anselmus apud Heidfeldium: Quatuor, inquit, modis Deus Hominem producit. 1. *Facit Hominem sine viro & Fæmina ut Adamum.* 2. *Producit Hominem ex Homine sine fæmina ut Evam.* 3. *Ex viro & fæmina, juxta communem naturæ cursum.* 4. *De fæmina sine viro, quomodo Christus natus est.* Invertimus ergo cum Exc. Dn. Præs. argumentum hoc modo.

Gen. 2. v. 7.

Gen. 2. v. 7.

Gen. 2. v. 11.

Gen. 3. v. 4.

Luc. 1.

Quacunq; origine Evæ anima producta est, eadem adhuc hodie omnium hominum producuntur.

Sed propagatione, non creatione, non educatione, non inductione Evæ anima producta est: E. etiam

Gen. 2. v. 11.

Omnium hominum anima, non creatione non inductione, nec educatione, sed propagatione producuntur.

XVIII. Hæc nostra assertio est Scripturæ & naturæ conformior, quam nil quicquam impugnat Aristotelis autoritas quæ nititur falsissimo illo principio. Quod generabile est corruptibile est: Quasi verò! Ex internis petenda corruptibilitas, non externi illo producendi modo, Sicut non statim incorruptibile est, quod creatur: ita nec corruptibile, quod generatur. Egregia vero Philosophia quæ corpus absque anima hominem facit. Sic tandem homines cum recta ratione insaniunt: nec mirum adeò si cû *Prætidibus* in vaccas se mutatos credant: Aut cum Ajace Armenta cœdentes, hostes se interficere putet aut ut Galenus refert, figlinum vas arbitrati, contactum hominum, & omnino propinquitatem, expavescant ne quo modo comminuantur, aut decurtentur: sicut

nec absurdum cuiquam videri debet, illos tam crasse philosophari; quia procul dubio ut Homines sunt illud præstant, absque ratione & intellectu.

XIX. Patrem nihilominus vere generare dicunt, licet animam, non suppeditet, modo traducat materiã cū dispositionibus, & potentia proxima ad recipiendam animam, & sic nihilominus manere quod homo generet hominẽ. Absurda hæc & alia sunt quæ obganniunt plus enim tribuunt effectui quam ipsi dedit causa. Pater enim juxta illos tantum corpus (quod hominem non absoluit generat) Deus vero animam largitur. Nec tanti momenti quod excipiunt. sc. Patrem nihilominus vere generare dicendum. Quia generatio terminatur ad productionem totius non verò partium. Falsum posterius. Productio enim totius importat productionem partium, nec totum producit qui partes non producit. Totum enim non distinguitur realiter à partibus simul sumptis. Sed si item ratione h. e. ut Metaphysici dicunt. Totum nihil addit partibus nisi substantialem earundem inter sese unionem, quæ tamen non est res distincta, sed realis modus. Impossibile ergo est producere totum absque partibus componentibus.

XX. Ab aliis describitur Generatio: quod sit actio qua generans sibi simili producit. Similitudo autem illa consistit in essentia, illa verò absque partibus essentialibus, Corpore sc. & anima, nulla est. Ergo Qui generat, essentiam communicat, aut non. Si communicat, necessario & Corpus & animam suppeditat. Si non, nec vere generat. Si ergo equus generans sibi similem equum, totam essentiam genito communicat. Quare nec Homo idẽ præstare poterit? Vere enim generare dicitur. Generationem dicunt consistere in unione. At ne conjungere quidem potest Pater ob corpus impos, siquidem Deus animam inspirat quod concedunt Patres. Quid ergo tandem præstabunt. Manet quod Exc. Dn. Præs. alicubi dixit O Patres impotetes & c. Orbantur filij Patribus & alibi & c. Imò addo quod hac ratione Homo non generatus sed creatus dici mereatur cū à potiori juxta Philosophos fiat denominatio. Deplo-ramus miserrimam illam philosophandi rationem, Cujus defensores, si & clare ex distincte perceptis judicare didicissent, forsitan non in tã ineptas & Philosopho planè indignas incidissent opinio-
nes,

nes, aut verius comēta & nugas. De quibus recte nō nemo philo-
sophorum: *Ego, inquit, vix à me impetrare possum, ut credam, istos
homines proprios conceptus & verba intellexisse? utinam vero tan-
dem saperent. & judicando non ita precipites essent.* Nos quibus sa-
nior mens, sanior animus, dicimus: Animam quæ per se immate-
rialis, à Deo naturæ ordinem sic gubernante, vim sese multipli-
candi, vehiculo feminis interveniente obtinere & in generatione
alium numero animam per ἀλλοποιήσιν producere & sic Paren-
tes vere Generare, & Corpus & Animam genito communicare.

Gen. 3.

XXI. Ad alteram de IMMORTALITATE Animæ Ratio-
nalis Quæstionem nos accingimus. Illam qui indubium vocat aut
Ethnico cœcior, aut plane mente captus haud falso creditur; nam
nec illis hanc omninò ignotam fuisse, tot egregia (quæ supersunt)
testimonia clare probant, quæ partim ex Poetarum scriptis, qui
tanto labore ac industria; quanquam sub in volucris figmentorum
Cerberi furorem Acheruntis & Erebi Tormenta, Izionis rotam,
Sisyphifaxum & alia aliorum tormenta tam artificiose depinxe-
runt, partim etiam ex Antiquioribus Philosophis, nulli non clara
atque obvia, esse possunt. Audiatur è multis Lactantius, *Hic,
unum, inquit, est summum Hominis Bonum, Immortalitas, ad quam
capiendam & formati à Principio & nati sumus.* Hac spe fretus A-
naxarchus *Tunde, Tunde inquit, O Nicocreon Anaxarchi vasculum,
Anaxarchum ipsum nequaquam lades.* Nos quod concernit, ex Re-
ligionis nostræ institutis, tenemus, Animam nostram esse immor-
talem Constituta enim illa est, inter cardines super quibus versan-
tur Religionis Christianæ præcepta. Et certe hæc nisi nobis super
esset spes cunctis animantibus essemus inferiores, quippe quæ so-
lius victus curam habent, quem tamen naturæ benignitas sponte
suppeditat, nec cogitationibus nostris, de turpitudine & honesta-
te, de gloria & infamia, deque vita & morte distrahuntur, nec aliis
malis nostris infinitis affliguntur.

Rom. 14.

XXII. Possemes insuper eandem innumeris scripturæ. Tum
V. tum N. Testamenti dictis & Exemplis demonstrare ut cum se
Deus Abrahami & ejus posteritatis Deum appellat Deus verò ju-
xta Apostoli effatum, non est mortuorum Deus sed viventium.
Item Christus ad latronem; *Hodie mecum eris in Paradiso;* Recte
etiam

etiam liber sapientiæ hominem *ἐν ἀπείρασμα* interminabilem conditum colligit, Sed quia neminem nostro seculo eam in dubium trahere confidimus, singulorum enumerationem supervacuam duximus.

XXII. An verò eadem rationibus Philosophicis probari possit, de illo controversum jam dudum & anxie à multis quæsitum. Affirmativam nos rationibus aliquot tuemur. Earum primam *Ex natura Spiritus desumimus*, in quo, quia ob summam simplicitatem, qua præ reliquis gaudet, nihil quod separari possit reperitur, immortalia omnia recte censentur. Corruptio enim ex contrariis, se invicem destruentibus profluit, horum autem quia immunitis anima: nihil quicquam enim habet admistum, dispar sui & dissimile; immortalis merito censetur. Quod ulterius *ex Operationibus* ex quibus quælibet res cognoscitur, omnisque forma qualis sit, suis se prodit operationibus, clarum, quas supra materiæ conditionem elevatas & corpori non communicatas edit: cū de rebus ab omni materia abstractis, & de universalibus disquirat: Sic ab effectis ratiocinando ad summam causam multa intuetur quæ oculis non patent: denique seipsam quoque contemplatur, actu quod dicunt reflecto futura conjicit, auguratur, recordatus præteritorum, imò nec rarò quæ neque sunt, neque esse possunt fingit. Unde recte Cato apud Ciceronem. *Quid multa, inquit, sic mihi persuasi, sic sentio: cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum futurorum prudentia: tot artes, tanta scientia, tot inventa id non posse eam naturam, quæ res eas continet esse mortalem.* Quod enim semper movetur, æternum juxta Philosophos est. Jam verò Anima quia à seipso movetur procul dubio semper movebitur, quia nunquam deserit seipsam, cum in qualibet natura (ut cum Marsilio Ficino loquar) insit amor sui ipsius perpetuus.

XXIV. Cum igitur tanta sit capacitas & amplitudo virium Animæ nostræ, quæ nullis materiæ angustijs circumcluditur: nec offenditur multitudo & vehementia objectorum: ut sensus infinita potest capere, & quo plura cognoscit: semper potest plura cognoscere, numerum quantumvis magnum potest augere ut docet CL. B. M. Sennertus. Immortalem eam merito dicimus; quod & im-

219
225.

& innumeris aliis rationibus clarius deducere possemus nisi tem-
pore excluderemur: Tantum de altera Hominis parte.

Anima scilicet Rationali.

XXV. Hæc autem cum tanta, præ reliquis formis omni-
bus polleat excellentia atque dignitates præstantissimum & elegan-
tissimum postulat subjectum, ut operâ hujus operationes edat
præstantissimas & elegantissimas, Ideoque ut anima Homo ita &
corpore cæteris præstet animantibus. Qualis enim forma, talis
materia tale subjectum ut scite Exc. Dn. Præses docet: Et hæc al- *Inst. Phys.*
tera ejus pars nobilis satis, angusta satis, nec indigna quam con- 1305
templemur, de qua paucis (& quasi intransitu ut ita dicam) cum
tot de illo conscripta extent volumina, in quibus singulæ ejus par-
tes prolixius examinantur & explicantur, quæ singula in compen-
dium redigere nostri instituti non facimus, edisseram.

XXVI. Describimus autem illud cum Exc. Dn. Præf. Quod *L. 2. Instit.*
fit: Materia Hominis artificiose ad varias edendas operationes con- *Anthi. p.*
structa. Quemadmodum per formam anima: sic per materi- *m. 303.*
am corpus describitur, ab hæc enim esse suum obtinet: sine qua
ne cogitari quidem potest: Facere enim Corpus sine materia,
est pinere panem sine farina: Quamcunque ejus etiam minimam
partem si spectas materiam ubicunque deprehendes absque hæc
si esset Invisibilis homo foret. Eleganter autem & artificiose, ad
varios operationes edendas constructa hæc materia dicitur.
Qam verè illud dictum nemini unquam satis digne effari licuit.
Nec nostrum jam facimus, singularum partium divinam structu-
ram, & quæ exinde innumera nobis exsurgunt commoda altius
extollere atque deprædicare. Quomodo sc. caput cælo proximum
gerat, supremam sensuum ac rationis arcem, in quo facies vene-
rabilis soli HOMINI propria. In hac frons, in qua majestas cle-
mentia & severitatis index: Sub fronte oculi tot circumcincti
nervis, venis atque arteriis; sub oculis nares, interstitio cartilagi-
neo divisæ. Ad aures semi-circularem referentes figuram,
modis non unis excavatam, Sub naribus os & labra, coitu decenti
commissa, sub ore mentum & utrinque ad latera genæ: Quæ o-
mnia pulcherrimæ, collæ interventu pectori cohærent. In hoc
C Animæ

Animæ sedes: hîc fons vivifici Nectaris. hîc ignis cœlestis, quem
 Promotheum de cœlo furatum fingunt; sub his abdomen ubi
 umbilicus ventriculus & reliqua intestina; Tandem pudenda,
 quibus ad necessitatem honeste ad voluptatem perverse homo u-
 titur nec non Bracchia, Manus & ultimo pedes, suis quæque di-
 stincta figuris atque utilitatibus sicut prolixius docet Exc. Dn^s
 Præses. Sed hæc obiter & intransitu, (nostram enim operosam sin-
 gulorum enumerationem ut dixi non facimus.) Galenum (si lice-
 ret) redivivum optaremus. Insignem elegantissimæ hujus stru-
 cturæ admiratorem, & increparet naturæ inimicos fortiter, qui
 non exicute statim & iis quæ primum occurrunt, nedû ex capite
 & reliquis de quibus supra, principalioribus longe & nobiliori-
 bus membris summam opificis sapientiam & bonitatem abunde
 colligat. Nullum enim sacrificium, nullumque hymnum Deo
 tam gratum esse, quam speculationem partium corporis Humana-
 ni dicitur. Nos finem facimus Et Lectorem benevolum singu-
 larum partium explicationem desiderantem. Ad Galenum qui
 multos de musculorum, nervorum, venarum, arteriarum, vo-
 calium instrumentorum, de ossibus, & aliis corporis partibus li-
 bros, conscripsit. Fallopium, Columbum, Sylvium, Riolanum,
 Spigelium, Fabricium & alios qui prolixius in hanc rem e-
 gerunt remittentes. **DEO GLORIOSO, qui IN MAXI-
 MIS MAGNUS ET IN MINIMIS MAXIMUS PA-
 TRI, FILIO, ET SPIRITUI SANCTO
 IMMENSAS AGIMUS
 GRATIAS.**

F I N I S,





Ad

*Humanissimum Dn. Respondentem Amicum
meum, de Homine disputantem.*

MArchia dum passim bello morbo que la-
borat,

Hic *Ideler* nobis prælia docta movet.
Gratulor ex animo coeptis, *Idelere*, potenti;
Bella movere nocet, præla subire licet.

*Michael Wendelerus, D.P.P.
& p. t. Decanus.*

*Ad Politissimum Dn. Respondentem Commen-
salem atq; Amicum meum colendum.*

DUm naturam Hominis specularis, & inti-
ma cordis,

Exigis æternum sedulitatis opus.
Sis licet ex hominum mortali sorte, superstes
Virtutis solidæ nescia fama mori est.

Autographiæ scrib.

*M. Esaias Viccius-
Uratlaviensis,
Inquirant*



*Ad Doctissimum Dn. Resp. Amicum
meum dilectum.*

Difficilis res est naturam inquirere : Quidque
Contineat totum, nobile molis opus
Hoc Idelere tibi curæ, sub imagine parva
Desudas mundi pingere, quæ facies.
Consideras HOMINEM, Non ludis vota Pa-
rentum

Post obitum in nato vivere qui poterunt.

Officiosissima manu deproperabat

N. S. H. M. A.

Inquirant alii Cœlum, sed te juvat orbis
Supremam partem querere, qualis
HOMO.

*Sanctius hoc animal, mentisq; capacius alte
Quid tenet hic mundus, cunctaq; regna soli?
Gratulor his ausis : Pergas & grata dabuntur
Munera, queis doctos culta Minerva
beat.*

Præximo Dn. Respondenti amica

deprop. manu

Erhardus Henning/

Regiom. Pruss.